

Forfatter: Brahe, Tyge

Titel: BREV TIL: Metellus, Johannes FRA: Brahe, Tyge (1591-11-13)

Citation: Brahe, Tyge: "BREV TIL: Metellus, Johannes FRA: Brahe, Tyge (1591-11-13)", i *Tychonis Brahe Dani opera omnia* (7. bind), HAUNIÆ MCMXIX IN LIBRARIA GYLDENDALIANA, s. 307. Onlineudgave fra Danmarks Breve: <https://tekster.kb.dk/text/letters-001573955-X02-shoot-L001573955X020040.pdf> (tilgået 02. juli 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia (7. bind)

Ophavsret: Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk dog altid at kreditere ophavsmanden.

[Læs Public Domain-erklæringen](#)

[Ex apographo in codice Vindobonensi lat. 9737f]

TYCHO BRAHE AD IOANNEM

METELLUM.

S.

GRATISSIMUM mihi fuit, Magnifice Domine IOANNES METELLE, quod comitando SereniBimum Regem vestrum me in hac Insula invitare non gravatus sis, quodque discedens, illa ingenij exquisitam acrimoniam redolentia lanuæ annotâris Epigrammata, quæ a pluribus postea ob acumen et elegantiam descripta sunt. Quod si pari aut etiam uberiore (ifta enim obiter et inter aliud agendum subito concinnata erant) venâ nostram effigiem, cuius || exemplar existimmo me tibi antea misiſſe (ut tamen certo habeas, en alterum addidi) decorâris, rem in primis acceptam feceris, teque ipsum in quibusdam meorum Operum Cithara Apollinea personantem, circa ipsum Frontispicium cognoscas. Scripsi et hoc nomine Domino PETROIUNIO, deque quibusdam alijs, in quibus et tuum expeto, sicubi opus fuerit, unâ cum confilio, auxilium. Si illi infuper Hortulanum et Aucupem primo vere mihi procurare commodum non fuerit, ut per te officij hoc mihi præstetur, per amanter rogo. Unicum infuper a te petam, quod et sponte mihi, cum hîc eſſ̄yes, pollicebaris, ut videlicet Dominum IOANNEM CRAIGIUM Medicinæ Doetorem hancque Edenburgi facientem et Mathematum infuper excellenter peritum, quantum in te est (est autem quamplurimum) ad potiora promovere, eiusque rei familiari, tua apud Regiam Maiesiatem intercessione, ut commode et bene degat, consulere, si modo id hadenus oblivione quadam prætermisſum est, ne graveris. Dignus enim is mea fententia est, qui ametur, iuvetur, promoteatur. Quamvis enim ex omnibus Europæis Mathematicis, ad quos nos fieri liber fecundus de recentioribus Ætherei Mundi Phænomenis (quem hîc, ni fallor, vidiſſi) pervenit, is folius inventus est, qui contentis eiusdem nonnullis contradicere, mecumque de eiusdem per literas disputare attentârit, tacentibus, imo de sua opinione prorsus cedentibus, eamque revocantibus, nos tris non invite subscribendo, præcipuis peneque cunctis inter illos, quorum ego in eodem scripto Placita <sup>39\*</sup> s. 308 sub veritatis incudem revocaveram, deviationesque aperueram et modeſte taxaram. Attamen tantum abeſt, ut id ullo paeto in ipso moleſte feram, quod etiam hoc mihi apprime gratum sit, læterque me in illo inveniſſe Antagonistam, qui ausus fuerit nos tris nonnulla quocumque tandem ratiocinationis prætextu exponere. Sic enim veritas ipsa, expensis femotisque ijs, quæ in contrarium adduci a quoquam plausibiliter poterint, reetus et plenius eluceſcit. Quemadmodum ex Apologia nostra, quam etiam (si reete memini) hîc infexisti, illius argumentationes affatim diluente, non obſcure liquet. Quam et magnificus Dominus IACOBUS CURTIUS, Cæfareæ Maiesatis atque Imperij Procancellarius, in literis ad me datis, quarum exemplum Domino PETRO IUNIO transmisi, tum etiam alij eruditii in Germania Mathematici, libere et lubenter approbârunt. Si itaque effeceris, ut vir ille fentiat meam commendationem apud te pondus habuiſſe, sibique emolumento fuiſſe, non tam illi quam mihi rem plurimum acceptam exhibueris, meque tibi vel hoc nomine, ut alias de te bene mereri fatagentem, aretius devinxeris. Vale, plura enim non addam, ne te gravibus et varijs administrationis publicæ munijs occupatum nimium interpellam. Iterum atque iterum quam feliciſſime vale. Datae Uraniburgi 13. Novembris Anno 1591.

TYCHO BRAHE.